



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvæ Exstant Omnia**

**Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>**

**Antverpiæ, 1605**

L. Annæi Senecæ Liber De Consolatio ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53700)

## L. ANNÆI SENECAE

## LIBER DE CONSOLATIO-

## NE AD POLYBIUM

ΑΚΕΦΑΛΟΣ.

## ARGUMENTVM ET ORDO.

**S**CRIPITVM in exsilio est, dum animo & corpore iacet (fatendum est, & scri-  
ptio clamat) anno circiter exsiliij eius tertio. Nam palam meminit Britanniae  
apertae, quod circa id tempus fuit. Polybius autem, inter praepotentes Claudij  
libertos, a studiis titulum habuit, & Graecè Latineque dicat eruditum,  
ex laudibus quidem quas Seneca accumulatur, eminenter. Solatur eum in frater-  
na morte: & Dispositio tota latet, quia principium, & pluscula, desunt. In  
iis quae sunt, haec est. Negat dolendum in vnius morte, quoniam mundus ipse, & quidquid in eo,  
hac lege damnantur. Item, quia vanus dolor, & sine fructu. Tertio, Natos nos esse ad tristitia,  
eoque adsuescendum. Quarto, Voluntatem defuncti aduocat, illum nolle. Quinto, Constantia &  
exemplo praere alijs fratribus debere: quia persona illustris, & oculi in eam versi. Sexto, & a  
C Studios solatium petere vult, quae semper adamauit. Haec & talia vsque ad Cap. xxxi. Ab eo  
deinde Exempla spargit eorum, qui fortiter tulere: inter hos (non sine vili adulatione) ipsius (Ca-  
saris, quem & mirè laudat: & denique Polybium iterum ad studia & libros mittit, remedium  
in dolore. Seneca hoc scriptum esse, negare non licet: editioni destinatum ab eo, non arbitror.  
sed pro praesenti fortuna abiectè & demisse scriptum, ad seruulum, heu, quot laudibus exorna-  
tum! Pudet, pudet: inimicus Seneca fuit & gloriae eius, quisquis vulgauerit.

## EX CAPITE XX.

\*\*\* nostra corpora compares, firma sunt: si redigas ad condicionem naturae omnia  
destruentis, & vnde edidit eodem reuocantis, caduca sunt. Quid enim immortale  
manus mortales fecerint? Septem illa miracula, & si qua his multo mirabiliora sequen-  
D tium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur. Ita est. nihil perpet-  
uum, pauca diuturna sunt. aliud alio modo fragile est: rerum exitus variantur: ce-  
terum quicquid cepit, & desinit. Mundo quidam minantur interitum, & hoc  
vniuersum, quod omnia diuina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies  
aliquis dissipabit, & in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis,  
& singulas compleret animas: Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem, & si  
quid altius cecidit, lamentetur: cum etiam hoc, quod non habet quod cadat, sit interi-  
turum. Eat aliquis, & fata tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conque-  
ratur. Quis tam superbæ impotentisque arrogantiae est, ut in hac naturae necessita-  
te omnia ad eundem finem reuocantis, se vnum ac suos seponi velit: ruinaeque, etiam  
XXI. ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogi-  
tare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: & ideo mihi vi-  
detur rerum natura, quod grauissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati con-  
solat-

solaretur æqualitas. Illud quoque te non minimum adiuuerit, si cogitaueris nihil profuturum dolorem tuum, nec illi quem desideras, nec tibi. noles enim longum esse, quod irritum est. Nam si quicquam tristitia profecturi sumus, non recuso, quicquid lacrimarum fortunæ meæ superfuit, tuæ affundere. inueniam etiam nunc, per hos exhaustos iam fletibus domesticis oculos quod effluat, si modo id tibi futurum bono est. Quid cessas? conqueramur. atque ad eum ipse hanc rem meam faciam. Iniquissima omnium iudicio fortuna, adhuc videbaris ab eo homine te continuisse, qui munere tuo tantam venerationem receperat, ut, quod raro vlli contingit, felicitas eius effugeret inuidiam. Ecce cum dolorem illi, quem saluo Cæsare accipere maximum poterat, impressisti: & cum bene illum vndique circumisses, intellexisti hanc partem tantummodo patere ictibus tuis. Quid enim illi aliud faceres? pecuniam eriperes? nunquam illi obnoxius fuit. nunc quoque quantum potest, illam à se abiicit, & in tantâ felicitate acquirendi, nullum maiorem ex eâ fructum, quam contemptum eius petit. Eriperes illi amicos? sciebas tam amabilem esse, ut facile in locum amicorum posset alios substituere. Vnum enim hunc ex his quos in Principali domo potentes vidi, cognouisse video: quem omnibus amicum habere cum expediat, magis tamen etiam liber. Eriperes illi bonam opinionem? solidior est hæc apud eum, quam ut à te quoque ipsâ concuti posset. Eriperes bonam valetudinem? sciebas animum eius liberalibus disciplinis, quibus non innutritus tantum, sed innatus est, sic esse fundatum, ut supra omnes corporis dolores emereret. Eriperes spiritum? quantulum nocuisses? longissimum illi æuum ingenij fama promisit. Id egit ipse, ut meliore sui parte duraret, & compositis cloquentiæ præclaris operibus, à mortalitate se vindicaret. Quamdiu fuerit vllus litteris honor, quamdiu steterit aut Latinæ linguæ potentia, aut Græcæ gratia, vigebit cum

12. MAXI-

## COMMENTARIUS.

**CAP. XX.** Liber acephalus siue capite defectus, quod quibus videri: sed tantusne batus, ut hic numerus præferri? Nam ita desint Capita XIX. id est, plus alterâ libri parte: mihi non credendum. Imò vero, cum rem considero, pauca requirere censo: & pleræque in istis exsequi eum video, quæ ad plenam consolationem. Unde ergo is numerus tam grandis? dicam, quod rideas. Hic liber, in plerisque scriptis, illi De Breuitate vitæ subiungitur, imò coniungitur, quasi vnum idemque scriptum sit. Qui igitur dispararunt, bene sanè: sed hoc non bene aut considerate, quod numeros eisdem tenuerunt Capita, quibus connecti cum illo solet. Nam ecce, XX. Caput, vltimum est libelli dicti: ergo hic consequenter fecerunt statim, Caput XXI. Error clarus: nec mutant tamen, quid opus? & citationes nos fallant, quæ vulgò sic conceptæ.

1. **NOSTRA CORP.]** De operibus magnis mirandisq; locutus videtur: & illis, inquit, si corpora hæc compares caduca & fragilia, dicas firma illa esse, at non sunt, si ad Naturæ communem legem. Partat tamen hæc lectio: & è quibusdam eruas Si vitæ nostræ compares: quod placeat.

2. **MVLTO MIRAB.]** Hoc ad Romana opera spectat: quæ verè superarunt decantata illa spectacula.

3. **QVIDAM MINANTVR.]** Stoici, in suâ illâ èruptiōni siue deflagratione mundi. Vide Quæst. Nat. III. cap. XXVII. & me in Physiol. II. Diss. XXII.

4. **QVO CADAT.]** Nihil enim extramundum. Sed

ut ille canit, In se magna ruunt.

**CAP. XXI. §. PROPECTVRI SVMVS.]** Nihil & pulchrè Philemon:

Εἰ τὰ δ' αὐρὸν ἡμῶν, τῶν κακῶν ἢν φάρμακον,  
Αἰετὸ δ' ἀλαύσας τὸ σπονδὴν ἐπαύστο,  
Ἀλλὰ ττόμιδ' ἀνδ' αὐρῶν, δ' ὄντες χροσίον.  
Νῦν δ' εἰ προσέγμι τὰ φραγματ' εἰδ' ἀποδέπτι,  
Εἰν τε κλαίης, εἰν τε μὴ σπορεύεται.

Τὶ δὴ σπονδὴ πλάσσει δ' ἢν ἡλύπη δ' ἔχει,  
Ὡσπερ τὸ δ' ἔσθρον τὸν καρῶν, τὸ δ' αὐρῶν:  
Si lacrimæ nostræ medela sint malis,  
Semperque lugens miseriam pellat suam;  
Auro paradæ lacrimæ contrâ sient.

At nihil ad ipsas ipsa res conueritur,  
Fleasq; non fleasq; iter pergit suum.  
Quid ergo flendo plus facis? nihil, nisi ut  
Fructum arbor affert, lacrimas dolor patit.

6. **EXHAUSTOS IAM.]** Ita iacebas? ubi robur Seneca? ubi quæ ad matrem aliter scribis? Latum & alacrem, velut optimis rebus, me cogita. Illa, an hæc, verba sunt?

7. **LITEM MEAM.]** In me actionem & impendia eius recipiam. Tuo nomine agam.

8. **NUMQVAM ILLI.]** Credamus, & præsertim in liberto Claudij, qui omnes certatim aureos floccos ab illâ pecude legebant.

9. **TANTA FELICITATE.]** Putarem, facilitate.  
10. **PRÆCLARIS OPER.]** Infra, cap. XXVI. & XXXI.

11. **POTENTIA.]** Bene, nam hæc imperabat.

12. MAXI-

A<sup>12</sup> maximis viris: quorum se ingenii vel<sup>13</sup> contulit, vel, si hoc verecundia eius recusat,  
<sup>14</sup> applicuit. Hoc ergo vnum excogitasti, quomodo illi maximè posses nocere. XXII.

Quo melior enim est quisque, hoc sæpius ferre te consuevit, sine vllò delectu furentem,  
 & inter ipsa beneficia metuendam. Quantulum erat, tibi immunem ab iniuriâ præsta-  
 re eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certâ peruenisse, & non ex  
 tuo more temerè incidisse? Adiciamus, si vis, ad has querelas, ipsius adolescentis inter-  
 ceptam inter prima incrementa indolem. Dignus fuit ille te fratre: tu certè eras dignif-  
 simus, qui nec ex indigno quidem quicquam doleres fratre. VIXX  
 Redditur illi testimonium æquale omnium hominum. desideratur in tuum honorem, laudatur in suum: nihil in  
 illo fuit, quod non libenter agnosceres. Tu quidem etiam minus bono fratri fuisse bo-  
 nus: sed in illo pietas tua idoneam nacta materiam, multo se liberiùs exercuit. Nemo  
 potentiam eius injuriâ sensit, nunquam ille<sup>15</sup> te fratrem vlli minatus est. Ad exemplum  
 se<sup>16</sup> modestiæ tuæ formauerat, cogitabatque quantum tu & ornamentum tuorum es-

B<sup>17</sup> ses, & onus. Suffecit ille huic farcinæ. O dura fata, & nullis æqua virtutibus! antequam  
 felicitatem suam nosset frater tuus, exemptus est. Parum autem me indignari scio: nihil  
 est enim difficilius, quàm magno dolori paria verba<sup>18</sup> reperire. Iam nunc tamen si quid  
 proficere possumus, conqueramur. Quid tibi voluisti tam iniusta, & tam violenta for-  
 tuna? Tam citò indulgentiæ tuæ te penituit? quæ ista crudelitas est, in medios fratres  
 impetum facere, & tam cruentâ rapinâ concordissimam turbam imminuere, tam bene  
 stipatam optimorum adolescentium domum, in nullo fratre degenerantem, turbare, &  
 sine vllâ causâ<sup>19</sup> delibare voluisti? Nihil ergo prodest innocentia ad omnem legem  
 exacta, nihil antiqua frugalitas, nihil felicitatis summæ potentia, summâ conseruata abs-  
 tinentiâ, nihil sincerus &<sup>20</sup> putus litterarum amor, nihil ab omni labe mens vacans? Lu-  
 get Polybius, & in vno fratre, quid de reliquis possit metuere, admonitus, etiam de ipsis  
 doloris sui solatiis timet. <sup>21</sup> Facinus indignum! luget Polybius, & aliquid propitio do-  
 let Cæsare. hoc sine dubio impotens fortuna captasti, vt ostenderes neminem contra te,  
 ne à Cæsare quidem, posse defendi. Diutius accusare fata possumus, <sup>22</sup> mutare XXIII.

C non possumus. stant dura & inexorabilia. nemo illa conuicio, nemo fletu, nemo causâ  
 mouet: nihil vnquam parcunt vlli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrimis, nihil  
 proficientibus. facilius enim nos illi dolor adiiciet, quàm illum nobis reducet. Qui si  
 nos torquet, non adiuuat, primo quoque tempore deponendus est: & ab inanibus sola-  
 tiis, atque amarâ quadam libidine dolendi, animus recipiendus. Nam lacrimis nostris,  
 ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumspice: larga  
 vbique flendi, & assidua materia. alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat:  
 alium ambitio nunquam quieta sollicitat: alius diuitias quas optauerat, metuit, &<sup>23</sup> vo-  
 to laborat suo: alium sollicitudo, alium labor torquet, alium semper vestibulum obsi-  
 dens turba: hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrimæ nobis deerunt, ante-  
 quam causæ dolendi. Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ pri-  
 mum nascentium <sup>24</sup> omen fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis se-

D quen-

12. MAXIMIS VIRIS.] Homero & Virgilio,  
 quos è versâ in prosam orationem transfuderat. Vide  
 capita iam dicta.

13. CONTULIT.] Paria fecit, illâ versione: aut,  
 parem se ostendit.

14. APPLICUIT.] Si non par, proximus & con-  
 iunctus.

CAP. XXII. 15. TE FRATREM.] Vt dice-  
 ret, Fratris referam, & Frater hoc vindicabit.

16. MODESTIÆ TUÆ.] Ita verò. nam quæ ma-  
 ior modestia, quàm quod sæpe (Suetonius ita scribit)  
 inter duos Consules ambulabat?

17. ET ONUS.] Ad imitandum scilicet. & vt di-  
 gnos se præberent tali fratre.

18. REPERIRE.] Meus liber, rependere.

19. DELIBARE.] Decerpere, minuere.

20. PVTVS LITT.] Ita Muretus, nec male. at  
 libri omnes, tutus. Itaque Pincianus, sincerus ex  
 toto, faciebat.

21. FACINVS INDIGNVM.] Te inepta  
 hec scribere.

CAP. XXIII. 22. MUTARE.] Hac tria ver-  
 ba adieci ex nostro libro, omnino germana.

23. VOTO LABORAT.] Torquetur eo, quod  
 optauerat.

24. OMEN FLETVM.] Plinius: Hominem tan-  
 tum nudum natali die abiicit ad vagitus statim  
 & ploratum, nullumque animalium aliud pro-  
 nius ad lacrimas, & has protinus vitæ principio.  
 Vide Consol. ad Marc. cap. XI.

quentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus: ideoque moderatè id fieri debet à nobis, quod sæpe faciendum est: & respicientes, quantum à tergo rerum tristium imminet, si non finire lacrimas, ac certè reseruare debemus. Nulli parcendum est rei magis quàm huic, cuius tam frequens vsus est. Illud quoque te non minimum adiuuerit, si cogitaueris, nulli minùs gratum esse dolorem tuum, quàm ei cui præstari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. nulla itaque eius officij ratio est, quod ei  
 XXIV. cui præstatur, si nihil sentit, superuacuum est: si sentit, ingratum. Neminem toto orbe terrarum esse, qui delectetur lacrimis tuis, audacter dixerim. Quid ergo: quem nemo aduersus te animum gerit, eum esse tu credis fratris tui, vt cruciatu tuo noceat tibi: <sup>25</sup> vt te velit abducere ab occupationibus tuis, id est, <sup>26</sup> à studio, & Cæsare: non est hoc simile veri. Ille enim indulgentiam tibi tanquam fratri præstitit, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam superiori: ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. Quid itaque inuat dolori intabescere: quem, si quis defunctis sensus est, finire frater tuus cupit? De alio fratre, cuius incerta posset voluntas videri, omnia hæc dubiè ponerem, & dicerem: Siue te torqueri lacrimis nunquam desinentibus frater tuus cupit, indignus hoc affectu tuo est: siue non vult, <sup>27</sup> vti que inutilem dolorem dimitte. nec impius frater sic desiderari debet, nec pius sic velit. In hoc verò, cuius tam explorata pietas est, pro certo habendum est, nihil esse illi posse acerbius, quàm hic si tibi casus eius acerbus est, si te villo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine villo flendi sine conturbat idem & exhaurit. Pietatem tuam tamen nihil æquè à lacrimis tam inutilibus abducat, quàm si cogitaueris, fratribus te tuis exemplo esse debere, fortiter hanc fortunæ iniuriam sustinendi. Quod duces magni faciunt, rebus affectis, vt hilaritatem de industriâ simulent, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum est. Indue dissimilem animo tuo vultum, & si potes, proiice omnem ex toto dolorem: sin minùs, introrsus abde & contine, ne appareat, & da operam, vt fratres tui te imitentur: qui honestum putabunt, quodcunque facientem viderint, animumque ex vultu tuo sument. <sup>28</sup> Et solatium debes esse, & consolator illorum: non poteris autem horum maioribus obstare, si tuo indulseris. Potest & illa res à luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renūtiaueris, nihil horum quæ facis posse subduci. Magnam tibi <sup>29</sup> personam hominum consensus imposuit: hæc tibi tuenda est. Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, & in animum tuum inquirat, ac perspicit quantum roboris ille aduersus dolorem habeat, & vtrumne tu tantum rebus secundis dexterè vt scias, an & aduersas possis viriliter ferre. obseruantur oculi tui. Liberiora omnia sunt iis, quorum affectus tegi possunt: tibi nullum secretum liberum est, in multâ luce fortuna te posuit. omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: vtrumne statim percussus <sup>30</sup> arma submiseris, an in gradu steteris. Olim te in <sup>31</sup> altiore ordinem & amor Cæsaris extulit, & tua studia deduxerunt: nihil te plebeium decet, nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre est, quàm consumendum se dolori committere? Non idem tibi in luctu pari, quod tuis fratribus licet. multa tibi non permittit opinio de studiis ac moribus tuis recepta: multum à te homines exigunt, multum expectant. Si volebas tibi omnia licere, ne conuertisses in te ora omnium. nunc autem tibi præstandum est,

CAP. XXIV. 25. VT TE VELIT.] *Meus, & priuate velit. quid sit, nescio.*

26. A STUDIO.] *Alludit ad munus eius. erat enim hic Polybius Principi suo Astudus, vt Suetonio dicitur, cap. xxviii. Quod tamen non ita capiendum. vt libris modò cum Claudio vacauerit, sed imò libellis & desideriis hominum capiendis, disponendis, suggerendis. quod infra, cap. xxvi. dices.*

27. VTIQUE INVTILEM.] *Ab ingenio Mureti: Erasmus antea, vti que inertem dolorem dimitte. Meus & plerique scripti, vti que vestrum*

*inharentem dolorem: quod Erasmanum illud firmet.*

28. ET SOLATIVM.] *Quod ex adfectu tuo capient.*

CAP. XXV. 29. PERSONAM.] *Meus & aliorum scripti, partem. quod si tenemus, ad Scenicæ partes referam, quæ solent imponi.*

30. ARMA SVBM.] *A gladiatoribus, vti & sequens phrasit, de gradu. Videantur nostra Saturnalia.*

31. ALTIOREM ORDINEM.] *Palatinum. & Cæsarianus es.*

A est, quantum <sup>32</sup> promisisti omnibus illis, qui opera ingenij tui laudant, qui deseribunt: quibus, cum fortunâ tuâ opus non sit, ingenio opus est. Custodes animi tui sunt. nihil unquam itaque potes indignum facere perfecti & eruditi viri professione, ut non multos admirationis de te suâ paniteat. Non licet tibi flere immodicè: nec hoc tantummodò non licet, nec somnum quidem extendere in partem dici licet, aut à tumultu rerum in otium ruris, <sup>33</sup> gratiâ quietis confugere, aut assiduâ laboriosi officij statione fatigatum corpus <sup>34</sup> voluntariâ peregrinatione recreare, aut spectaculorum varietate animum derinere, aut ex tuo arbitrio diem disponere. <sup>35</sup> Multa tibi non licent, quæ XXVI.

B humillimis & in angulo iacentibus licent. Magna seruitus est, magna fortuna. Non licet tibi quicquam arbitrio tuo facere. audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi <sup>36</sup> libelli, tantus rerum ex orbe toto accurrentium congestus. Ut possit per ordinem suum principis maximi officium geri, <sup>37</sup> quieti animi est. Non licet tibi, inquam, flere: ut multos flentes audire possis: ut periclitantium, & ad misericordiam mitissimi Cæsaris peruenire cupientium lacrimæ <sup>38</sup> profint, tibi tuæ assiccandæ sunt. <sup>39</sup> Hoc tamen etiam non in leuioribus remediis adiuuabit. cum voles omnium rerum obliuisci, cogita Cæsarem: vide quantam huius in te indulgentiæ fidem, quantam industriam debeas. intelliges non magis tibi incuruari licere, quàm illi, si quis modò est <sup>40</sup> fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur. Cæsari quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, sibi eripuit: & fiderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, numquam illi licet nec subsistere, nec quicquam suum facere. Ad quemdam iraque modum tibi quoque eadem necessitas iniungitur: non licet tibi ad vilitates tuas, ad studia tua respicere. Cæsare orbem terrarum possidente, impartiri te nec voluptati, nec dolori, nec vlli rei potes: totum te Cæsari debes. Adice nunc, quòd cum semper prædices cariorem tibi spiritu tuo Cæsarem esse, fas tibi non est, saluo Cæsare, de fortunâ queri. Hoc incolumi, salui tibi sunt tui: nihil perdidisti: non tantum siccos oculos tuos esse, sed etiam latos oportet. In hoc tibi omnia sunt: hic pro omnibus est. Quod longè à sensibus tuis prudentissimis piissimisquæ abest, aduersus felicitatem tuam parum gratus es, si tibi quicquam, hoc saluo, flere permittis. Monstrabo etiamnum, non quidem firmiter remedium, sed familiarius. Si quando te domum receperis, tunc erit tibi metuenda tristitia. nam quamdiu numen tuum intueberis, nullum illa ad te inueniet accessum: omnia in te Cæsar tenebit: cum ab illo discesseris, tunc, velut occasione datâ, insidiabitur solitudini tuæ dolor, & requiescenti animo tuo paullatim irrepet. Itaque non est, quod vllum tempus vacare patiaris à studiis. tunc tibi litteræ tuæ, tam diu ac fideliter amate, gratiam referant: tunc te illæ antistitem & cultorem suum vindicent: tunc Homerus & Virgilius, tam benè de humano genere meriti, quàm tu de omnibus & de illis meruisti, quos <sup>41</sup> pluribus notos esse voluisti quàm scripserant, multum tecum morentur. tutum id erit omne tempus, quod illis tuendum commi-

feris.

D

32. PROMISISTI OMNIBVS.] *Meus liber, omnes illi. nec ambigo, quin tota clausula sic rescribenda & discernenda. quantum promisisti. Omnes illi, qui o. i. t. l. q. d. q. c. ft. o. n. f. i. opus est, custodes animi tui sunt.*

33. GRATIA QUIETIS.] *Vox gratiâ omnibus scriptis abest. possis legere, in otium ruris quieti.*

34. VOLUNTARIA.] *Placet mei libri scriptio, voluntaria.*

CAP. XXVI. 35. MVLTÀ TIBI.] *Paris sententia habet. De Clem. cap. viii. sed ad Principem, non eius seruum.*

36. LIBELLI.] *Quibus preces aut desideria continentur.*

37. QUIETI ANIMI EST.] *Spuria sunt. libri prisci, principis maximi animo subiici erigendus*

(ali, exigendus) is est. *Non dubito legere.* disponendi libelli. Tantus rerum ex o. t. a. c. congestus ut possit per ord. suum P. m. animo subiici, erigendus ipse es. *aut cum Pinciano, erigendus tuus est.*

38. PROSINT.] *Meus, possint.*

39. HOC TAMEN.] *Clausula hæc in meo: Hæc tamen etiamnunc leuioribus te remediis adiuuabunt. Vulgata placeat. vult hoc de Cæsare, non inter parua esse.*

40. FABVLIS TRAD.] *Meus & quidam, voce additâ: traditus fauor. Atlantem intellegi certum est, nec ultra penetrro.*

41. PLVRIBVS NOTOS.] *Ergo Homerum Latine vertit, Virgilium Græcè, sed pedestri sermone: ut legi vterque & capi ab vtraque gente possit.*

42. MA.

feris. Tunc Caesaris tui opera, ut per omnia secula domestico narrentur præconio, quantum potes compone. nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas, & materiam dabit, & exemplum. Non audeo te usque eò producere, ut fabellas quoque & Æsopos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solitâ tibi venustate connectas. difficile est quidem, ut ad hæc hilariora studia tam vehementer percussus animus, tam citò possit accedere: hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius, & redditi sibi, si poterit se à seuerioribus scriptis ad hæc solutiora producere. In illis enim quamuis ægrum cum adhuc, & secum reluctantem, & aduocabit ipsa rerum quas tractabit austeritas: hæc quæ remissâ fronte commentanda sunt, non feret, nisi cum iam sibi ab omni parte constiterit. Itaque debes eum seueriore materiâ primùm exercere, deinde hilariore temperare. Illud quoque magno tibi erit leuamento, si sæpe te sic interrogaueris: <sup>47</sup> Vtrumne meo nomine doleo, an eius qui decessit? Si meo, perit meæ indulgentiæ iactatio, & incipit dolor, hoc vno excusatus, quòd honestus est, cum ad utilitatem respicit, à pietate desciscere. Nihil autem minus bono viro conuenit, quàm in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo; necesse est, alterutrum ex his duobus esse iudicem. <sup>48</sup> Nam si nullus defunctis sensus est, euasit omnia frater meus vitæ incommoda, & in eum restitutus est locus, in quo fuerat antequam nasceretur, & expertus omnis mali, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iste est furor, pro eo me nūquam dolere desinere, qui nunquam doliturus est? Si est aliquis defunctis sensus, nunc animus fratris mei, velut ex diutino carcere emissus, tandem sui iuris & arbitrij gestit, & rerum naturæ spectaculo fruitur, & humana omnia ex superiore loco despicit; diuina verò, quorum rationem tamdiu frustra quæserat, propius inueter. Quid itaque eius desiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus est? beatum desistere, inuidia est: nullum, dementia.

<sup>49</sup> An hoc te mouet, quòd videtur ingentibus, & cum maximè circumfusis, bonis caruisse? cum cogitaueris multa esse quæ perdidit, cogita plura esse quæ non timet. Non ira eum torquet, non morbus affliget, non suspicio lacestet, non edax & inimica semper alienis processibus inuidia consecrabitur, non metus sollicitabit, non leuitas fortunæ citò munera sua transferentis inquietabit. Si benè computes, plus illi remissum, quàm creptum est. Non opibus fruatur, non tuâ simul ac suâ gratiâ; non accipiet beneficia, non dabit. Miserum putas quòd ista amisit, an beatum quòd non desiderat? mihi crede, is beator est, cui fortuna superuacua est, quam is cui parata est. Omnia ista bona, quæ nos speciosâ, sed fallaci voluprate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliæque complura, ad quæ generis humani cæca cupiditas obstupefcit, cum labore possidentur, cum

<sup>42</sup>. MATERIAM. ] *Cum tam ampla gesserit, geratque: Germaniam pacauerit, Britanniam aperiat, Cap. xxxii.*

<sup>43</sup>. EXEMPLVM. ] *Quippe ipse Claudius utraque linguâ Historias scripsit: Sueton. cap. xli. & xliii.*

CAP. XXVII. <sup>44</sup>. LOGOS. ] *Est qui apolo- gus vellet, male. Nam & logi, fabulæ: quod vel Plautus dicit.*

<sup>45</sup>. INTENTATVM ROM. ] *Itano intentatum? atqui Phadrus Tiberij libertus iam condiderat, & pulcherrimis versibus Latinos fecerat: qui exstant. Sed enim è Thraciâ ille; hic de Romanis ingeniis sermo. Quid tamen Polybius? nonne & ille inter Græcos aut exteros? nomen dicit.*

<sup>46</sup>. ADVOCABIT IPSA. ] *Quidam, auocabit: nec male. res enim serie in se intendunt eum & designant. Suspicabar etiam: aduocabit ipsi. id esset, iuuabit & patrocinabitur ei seueritas.*

<sup>47</sup>. VTRVMNE MEO NOMINE. ] *Simile dilemma in Apuleio, De Philosophiâ: Et quidem si de tali se causâ discruciet, illam ægritudinem vel propter eum qui est emortuus suscipit, quasi in peiore sit parte: aut suâ gratiâ, quod tali necessi-*

tudine doleat se priuatum esse. Sed neque obiti causâ lamentationes suscipi oportet, cum sciamus illum, neque aliquid mali passum, & si fuerit bonæ voluntatis, etiam melioribus aggregatum. Et plura vide.

<sup>48</sup>. NAM SI NULLVS. ] *Et hoc dilemma in Platone, imò à Platone est. nam bellè tractatur in Apologia, sub personâ Socratis: Duorum enim alterum mors est. Aut enim, tanquam nihil ea sit, ne sensum quidem vllius rei mortuus habet: aut, ut dici solet, mutatio quædam est & commigratio animæ, è loco isto in locum alium. Quod si nullus sensus est, sed tanquam somnus quidam profundus, in quo nec somnium quidem vllum cernas; admirabile bonum in morte est. Sin autem transmigratio est, & in eum locum vbi vnâ omnes mortui sunt: quod maius isto bonum obtinere, ô iudices, potest? Hæc pauca reddidi: plura, qui volet, videto.*

<sup>49</sup>. SPECTACVLO. ] *Iunge quæ sunt paria, Epist. cii. sub finem, & Consol. ad Marc. cap. xxv.*

CAP. XXVIII. <sup>50</sup>. PARATA. ] *Fauens ac prompta. Editis libris, parta.*

A cum inuidiâ conspiciuntur: eosque ipsos quos exornant, & premunt: plus minantur, quàm profunt. Lubrica & incerta sunt: numquam bene tenentur. nam vt nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnæ felicitatis tutela sollicita est. Si velis credere aliter veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis æstibus reciprocum, & modò alleuans nos subitis incrementis, modò maioribus damnis deserens, assidueque iactans, numquam stabili consistimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates expofito mari nauigantibus, nullus portus nisi mortis est. Ne itaque inuideris fratri tuo: quiescit. tandem liber, tandem tutus, tandem æternus est: superstitem Cæsarem, omnemque eius prolem, superstitem te cum omnibus habet fratribus. Antequam quicquam ex suo fauore fortuna mutaret, <sup>51</sup> stantem adhuc illam, & munera plenâ manu congerentem reliquit. Fruitur nunc aperto & libero cælo, ex humili atque depresso in

B eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas vinculis animas beato recipit sinu: & nunc liberè vagatur, omniaque rerum naturæ bona cum summâ voluptate perspicit. Erras. non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est. omnibus illò nobis commune est iter. Quid fata dessemus? non reliquit ille nos, sed antecessit. Est, <sup>XXIX.</sup> mihi crede, magna felicitas in ipsâ felicitate moriendi. Nihil ne in totum quidem diem certi est. quis in tam obscurâ & inuolutâ veritate diuinat, utrùmne fratri tuo mors <sup>52</sup> inuiderit, an <sup>53</sup> consuluerit? Illud quoque, quâ iustitiâ in omnibus rebus es, necesse est te adiuuet cogitantem, non iniuriam tibi factam, quòd talem fratrem amisisti, sed beneficium datum, quòd tamdiu pietate eius tibi vti fruique licuit. Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti non relinquit: auidus, qui non lucri loco habet quod accepit, sed damni, quod reddidit. Ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi præsentium. qui non & in præteritis acquiescit, & ea iudicat <sup>54</sup> certiora quæ abierunt, quia de illis ne desinant, non est timendum.

C Nimis angustat gaudia sua, qui eis tantummodo quæ habet ac videt, frui se putat, & habuisse eadem pro nihilo ducit. citò enim nos omnis voluptas relinquit, quæ fluit & transit, & præne antequam veniat, aufertur. Itaque in præteritum tempus animus mittendus est, & quicquid nos vnquam delectauit, reducendum, ac frequenti cogitatione pertractandum est. Longior fideliorque est memoria voluptatum, quàm præsentia. Quòd habuisti ergo optimum fratrem, in summis bonis pone. Non est quòd cogites, quanto diutius habere potueris, sed quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi sicut ceteris fratribus, <sup>55</sup> non mancipio dedit, sed commodauit: cum visum est deinde, repertit, nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem. Si quis pecuniam creditam soluisse se molestè ferat, eam præsertim cuius vsum gratuitum acceperit, nonne iniustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit & tibi: quæ suo iure vfa, à quo voluit, debitum suum citius exegit. non illa in culpa est, cuius nota erat condicio, sed mortalis animi spes auida, quæ subinde quid rerum natura sit obliuiscitur, nec vnquam sortis suæ meminit, nisi cum admonetur. Gaude itaque habuisse te tam bonum fratrem, &

D vsum fructum eius, quamuis breuior voto tuo fuerit, boni consule. Cogita iucundissimum esse, quòd habuisti: humanum, quòd perdidisti. Nec enim quicquam minùs inter se consentaneum est, quàm aliquem moueri, quòd sibi talis frater parùm diu contigerit: non gaudere, quòd tamen contigerit. At inopinanti ereptus est. Sua quemque credulitas decipit: & in eis quæ diligit, voluntaria mortalitatis obliuio. Natura nulli se necessitatis suæ gratiam facturam esse testata est. Quotidie præter oculos nostros transeunt

noto-

51. STANTEM ADHUC. ] *Nondum se auertentem & abuertentem.*

CAP. XXIX. 52. INUIDERIT. ] *Bonis erepto.*

53. CONSULVERIT. ] *Malis subducto.*

54. CERTIORA QVÆ. ] *Martialis 1.*

Non bene distuleris, videas quæ posse negari, Et solum hoc ducas, quod fuit, esse tuum.

Adde De Benef. III. cap. IIIII. De Vita beat. cap. VI.

55. NON MANCIPIO. ] *Lucretius: Vitaque mancipio nulli datur, omnibus vfu.*

notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, & subitum id putamus esse, A  
 quod nobis totâ vitâ denunciatur futurum. Non est itaque ista factorum iniquitas, sed  
 mentis humanæ prauitas, insatiabilis rerum omnium: quæ indignatur inde se exire,  
 quò admissa est precariò. Quanto <sup>56</sup> ille iustior, qui nuntiata filij morte, dignam  
 XXX. magno viro vocem emisit? *Ego cum genui, tum moriturum sciu.* Profus non mireris ex hoc  
 natum esse, qui fortiter mori posset. Non accepit tanquam nouum nuntium, filij mor-  
 tem: quid est enim noui, hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quam ad mortem  
 iter est? *Ego cum genui, tum moriturum sciu.* Deinde adiecit rem maioris & prudentiæ &  
 animi: <sup>57</sup> *Huic rei sustuli.* Omnes huic rei tollimur: quisquis ad vitam editur, ad mor-  
 tem destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod datur, reddamusque id cum reposce-  
 mur. alium alio tempore fata comprehendent, neminem præteribunt. <sup>58</sup> In procinctu  
 steter animus: & id quod necesse est, numquam timeat: quod incertum est, semper exspe-  
 cter. Quid dicam duces, ducumque progenies, & multis aut consulatibus conspicuos,  
 aut triumphis, sorte defunctos inexorabili: tota cum regibus regna, populi que cum gen- B  
 tibus tulere fatum suum. Omnes, imò omnia in vltimum diem spectant. non idem  
 vniuersis finis est. Alium in medio cursu vita deserit, aliù in ipso aditu relinquit, alium  
 in extremâ senectute fatigatum iam & exire cupientem vix emittit: alio quidem atque  
 alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Vtrumne stultius sit nescio,  
 mortalitatis legem ignorare, an impudentius, recusare. Agedum illa quæ multo ingenij  
 tui labore celebrata sunt, in manus sume, <sup>59</sup> vtriuslibet auctoris carmina: quæ tu ita  
<sup>60</sup> resoluisisti, vt quamuis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim  
 illa ex aliâ linguâ in aliam transtulisti, vt (quod difficillimum erat) omnes virtutes in  
 alienam te orationem secutæ sunt. Nullus erit in illis scriptis liber, qui non plurima va-  
 rietatis humanæ incertorumque casuum & lacrimarum, ex aliâ atque aliâ causâ fluen-  
 tium, exempla tibi suggerat. Lege, quo spiritu ingentibus intonueris rebus: pudebit te  
 subito deficere, & ex tantâ orationis magnitudine decidere. Ne commiseris, vt quisquis  
<sup>61</sup> extemplo ac modò scripta tua mirabatur, quærat quomodo tam grandia, tamque so- C  
 lida, tam fragilis animus conceperit. Potius ab istis quæ te torquent, ad hæc tor & tanta  
 quæ consolantur, conuerte, ac respice optimos fratres, respice vxorem, filium respice. Pro  
 omnium horum salute, hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes in quibus  
 XXXI. acquiescas. Ab hac te infamiâ vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere  
 vnus dolor, quam hæc tam multa solatia. Omnes istos vnâ tecum perculos vides, nec  
 posse tibi subuenire, imò etiam vltro exspectare, vt à te subleuentur, intelligis: & ideo  
 quanto minus in illis doctrinæ minusque ingenij est, tanto magis resistere te necesse est  
 communi malo. Est autem hoc ipsum solatij loco, inter multos dolorem suum diuide-  
 re: qui quia dispensatur inter plures, exiguâ debet apud te parte subsidere. Non desi-  
 nam toriens tibi offerre Casarem. illo moderante terras, & ostendente, quanto melius  
 beneficiis imperium custodiatur, quam armis, illo rebus humanis præsidente, non est  
 periculum, ne quid perdidisse te sentias. in hoc vno tibi satis præsidij, satis solatij est. At-  
 tolle te. & quotiens lacrimæ suboriuntur oculis tuis, totiens illos in Casarem dirige:  
 siccabuntur maximi & clarissimi conspectu <sup>62</sup> numinis. Fulgor eius illos, vt nihil aliud D  
 pos-

CAP. XXX. 56. ILLE IUSTIOR.] *De Ana-  
 xagorâ statim subeat intellegi, quem Cicero, Valerius,  
 Diogenes, totidem verbis, nuntiata filij morte, fa-  
 ciunt respondisse, Sciebam genuisse mortalem. Sed  
 è sequentibus tamen magis est de Xenophonte capi.  
 Nam subdit: ex hoc natum esse, qui fortiter mori  
 posset: fortem scilicet è viro forti: at de Anaxagora  
 filij gloriosâ morte nihil equidem legi. Bene de Xeno-  
 phontis, cuius Gryllus fortiter dimicans inter equi-  
 tes occubuit. In eo factò Diogenes: Sunt qui illum  
 (Xenophontem) nec lacrimasse quidem dicunt, sed  
 tantum dixisse, Sciebam genuisse mortalem.*

57. HVIC REI SVSTVLI.] *Non dixit ipse, sed è  
 verbus eius colligit, at que addit.*

58. IN PROCINCTV.] *Paratus ad hanc pugnam.*

59. VTRIVSLIBET.] *Homeri sine Virgily.*

60. RESOLVISTI.] *Nota ergo, in pedestrem ser-  
 monem vertisse.*

61. EXTEMPLÒ AC MODÒ.] *Meus liber, exem-  
 plo. & incidebat legere, quisquis sine exemplo.*

CAP. XXXI. 62. NVMINIS.] *Fortasse &  
 luminis, è sequentibus. Esi hac omnia plena humil-  
 lime & fadissima adulationis.*

A possint aspicere, præstringet, in se hærentes detinebit. Hic tibi, quem tu diebus intueris ac noctibus, à quo numquam deiecis animum, cogitandus est, hic contra fortunam aduocandus: nec dubito, cum tanta illi aduersus omnes suos sit mansuetudo, tantaque indulgentia, quin multis iam solatiis tuum istud vulnus obduxerit, nonnulla quæ dolori obstarent tuo congesserit. Quid potro? ut nihil horum fecerit, nonne protinus ipse conspectus per se tantummodo, cogitatusque Cæsar, maximo solatio tibi est? Dij illum Deæque omnes terris diu<sup>63</sup> commodent. acta hic D. Augusti, <sup>64</sup> & annos vincat, <sup>65</sup> ac, quamdiu mortalis erit, nihil ex domo suâ mortale esse sentiat. Rectorem Romano imperio filium <sup>66</sup> longâ fide approbet, & ante illum consortem <sup>67</sup> patris, quàm successorem accipiat. Sera, <sup>68</sup> & nepotibus demum nostris dies nota sit, quâ illum <sup>69</sup> gens sua cælo <sup>70</sup> asserat. Abstine ab hoc manus tuas fortuna, nec in isto potentiam tuam, nisi eâ parte quâ prodes, ostenderis. patere illum generi humano iam diu ægro & affecto <sup>71</sup> mederi: patere, quicquid <sup>72</sup> prioris Principis furor concussit, in locum suum restituere ac reponere. <sup>73</sup> Sidus hoc, quod præcipitato in profundum, ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic <sup>74</sup> Germaniam pacet, <sup>75</sup> Britanniam aperiat, & <sup>76</sup> patris triumphos ducat, & nouos: quorum me quoque spectatorem futurum, quæ primum obrinet locum ex virtutibus eius, promittit clementia. nec enim sic me deiecit, ut nollet erigere: imò ne deiecit quidem, sed impulsus à fortunâ & cadentem sustinuit, & in præceps euntem leniter diuinæ manus vltus moderatione deposuit. Deprecatus est pro me senatum, & vitam mihi non tantum dedit, sed <sup>77</sup> etiam petiit. Viderit, qualem <sup>78</sup> volet æstimari causam meam. vel iustitia eius bonam perspicier, vel clementia faciet. vtrumque in æquo mihi eius beneficium erit, siue <sup>79</sup> innocentem me scierit esse, siue voluerit. Interim

XXXII.

63. COMMODENT.] *Meus & aliquot scripti, commendent. Præfero tamen vulgatum. quasi dicat, Dij illum à se & suo cætu profectum, velut commodato generi humano dent, max recepturi.*

C 64. ET ANNOS.] *Nic. Faber sermō bonus doctusq; vir, è suis libris probabat: Acta hic D. Augusti æquit, annos vincat: idem ego.*

65. AC QUAMDIU.] *Meus hic plenior: ac faciant, ut quamdiu inter mortales erit. Imò & hoc melius pro totâ istâ adulatione. neque enim mortale eum vult dicere (Deum & numen) sed inter mortales esse: commodatum scilicet, ut antè.*

66. LONGA FIDE.] *Quia diu nimirum cum ipso imperaturus.*

67. PATRIS.] *Volebam olim, pater: sed & ex vulgata idem elicias. Sensus est. Britannicus cum senepatre, iam ipse grandis, imperet: & sit consors & collega imperij, non successor. Successor enim non nisi mortui, aut pulsi.*

D 68. ET NEPOTIBUS.] *Quò is homo? vis tu illum triplex eum, cum Nestore aliquo, viuere? Nam Claudius hoc tempore supra quinquagesimum annum agebat. Poëtica omnino adulatio.*

69. GENS SVA.] *Claudra & Imperatoria stirps, nam præagit illi grandem posteritatem.*

70. ASSE RAT.] *Non inserat, sed asserat illatum, asserat, consecratione.*

CAP. XXXII. 71. MEDERI.] *Ita sanè, sed chirurgiâ & missione sanguinis. Quis nescit eius sanuitas & cades?*

72. PRIORIS.] *Cajj Caligula.*

73. SIDUS HOC.] *Ita Q. Curtius de eodem (ut mea opinio est) iure populus Ro. salutem se Principi suo debere profertur, qui noctis, quam pænè supremam habuimus, nouum fidus illuxit. Huius herclè, non solis ortus, lucem caliganti reddi-*

dit mundo: & plura lib. x. quæ simillima his Seneca: imò dicas ab alterutro transumpta.

74. GERMANIAM.] *Referendum ad ea quæ primo anno imperij eius in Germaniâ gesta, duobus legatorum, Serij Galba & P. Gabiny. quorum ille Catos, iste Marlos vicit, atque aquilam reciperavit clade Varianâ amissam. Eo utroque nomine Imp. iterum Claudius appellatus: anno DCCXCIII. quo ipso in exsilium Seneca pulsus, ut Dio scribit.*

75. BRITANNIAM AP.] *Nondum ergo plene vicerat, sed iam in eo erat. Notetur, ut de tempore liqueat huius scripti. Aperire Britanniam cepit tertio imperij anno, misso in eam A. Plautio: atque ipse anno post secutus perdomuit, & de eâ triumphauit. Scripsit igitur hæc Seneca tertio circiter exsilij sui anno, sed oriente.*

76. PATRIS.] *Meus & alij, patrios. quod malim. De Germanicis triumphis captendum, qui velut debiti erant Druso Germanico, nisi mors anteuemisset.*

77. ETIAM PETIIT.] *Ab miser Seneca! etiam innocens de damnatione gratularis, imò pænè gratias agit Pro more temporum. quo Principes, quos euertebant, volebant videri tamen à se subleuatos, à Senatu autem impulsos. In Taciti Annalibus pluscula exempla. ut illud de Libone, lib. 11. Iurauitque Tiberius petiturum se vitam, quamuis nocenti, nisi voluntariam mortem properauisset. Huc & Domitiant verba faciunt apud Sueton. cap. XI.*

78. VOLET ÆSTIMARI.] *Alius Erasmus. meus autem: volet esse, & existimet. Probem, sed legam æstimet. hoc sensu, Videat qualem volet esse causam meam, per se, an ab ipso bonam: æstimet tantum eam & inspicat.*

79. INNOCENTEM ME.] *Es o magne vir, meâ quidem tabellâ. Et vero si palam eius criminis convictus, si non à Messallinâ hæc se ena: quomodo tam liberè hic innocentem se proclamet?*

terim magnum miseriarum mearum solatium est, videre misericordiam eius totum orbem peruagantem: quæ cum ex ipso angulo, in quo ego <sup>80</sup> defossus sum, complures multorum iam annorum ruinâ obrutos effoderit, & in lucem reduxerit, non vereor ne me vnum transeat. Ipse autem optimè nouit tempus, quo cuique debeat succurrere: ego omnem operam dabo, ne peruenire ad me erubescat. O felicem <sup>81</sup> clementiam tuam Cæsar! quæ efficit, ut quietiorem sub te agant vitam exsules, quàm nuper sub Caio egere <sup>82</sup> principes. Non trepidant, nec per singulas horas gladium expectant, nec ad omnem nauium conspectum pauent. Per te habent, ut fortunæ fauientis modum, ita spem quoque melioris eiusdem, ac præsentis quietem. Scias licet <sup>83</sup> ea demum fulmina esse iustissima, quæ etiam percussi colunt.

XXXIII. Hic itaque princeps, qui publicum omnium hominum solatium est, aut me omnia fallit, aut iam recreauit animum tuum, & tam magno vulnere maiora adhibuit remedia: iam te omni confirmauit modo: iam omnia exempla, quibus ad animi æquitatem compellereris, <sup>84</sup> tenacissimâ memoriâ retulit: iam omnium præcepta sapientum assuetâ sibi faciendâ explicuit. Nullus itaque <sup>B</sup> melius has alloquendi partes occupauerit. aliud habebunt hoc dicente pondus verba, velut ab oraculo emissa. omnem vim doloris tui diuina eius contundet auctoritas. Hunc itaque tibi puta dicere: Non te solum fortuna desumpsit sibi, quem tam graui afficeret iniuriâ. nulla domus in toto orbe terrarum aut est, aut fuit sine aliquâ comploratione. Transibo exempla vulgaria, quæ etiam si minora, tamen <sup>85</sup> mira sunt: ad fastos te, & annales perducam publicos. Vides omnes has imagines, quæ implere Cæsareum <sup>86</sup> atrium? nulla non harum aliquo suorum incommodo insignis est: nemo non ex istis, in ornamentum sæculorum refulgentibus viris, aut desiderio suorum tortus est, aut à suis cum maximo animi cruciatu desideratus est. Quid tibi referam Scipionem Africanum, cui <sup>87</sup> mors fratris <sup>88</sup> in exilio nuntiata est? Is frater qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato: & quàm <sup>89</sup> iuris æqui impatiens pietas Africani fuerit, cunctis apparuit. eodem enim die, quo <sup>90</sup> viatoris manibus fratrem abstulerat, <sup>91</sup> tribuno quoque defenderat. Quid referam <sup>92</sup> Æmilianum Scipionem, qui vno patre eodemque tempore, spectauit patris triumphum, duorumque fratrum funera? adolescentulus tamen, ac

pro-

80. DEFOSSVS.] *Alij, defixus aut defixus. Illud melius, & qui remotis abductiq, à cætu hominum sunt, videntur mortui & in sepulchrum dati. Ita ad Marciam, cap. 11. A follennibus officiis seducta, defodit se & abdidit. Sed optimè in Epigrammate, de se ipse: Parce relegatis, hoc est iam parce sepulis.*

81. CLEMENTIAM.] *Dy boni, quantam! qui tam facile homines occidebat, quàm canis exta edit: ut tu, mutatione temporum scripsisti.*

82. PRINCIPES.] *Proceres, ut saepe. Nam Senatores assidue ab eo timebant. Et si is quoque exsules interfecit, quod Sueton. breuiter, cap. XXVIII. & plura hinc rei Philo Iudæus, In Flaccum, libello extremo.*

83. EA FULMINA.] *Sic Ouidius & alij damnationes suas appellant. Artemidorus fulmen in somnis visum, damnationem portendere dicit. xij. d. inquit, τοῦ καταμάθητας, ἐν τῇ συνθήκῃ, ἔσπαυρόν τε φάσι: Nam damnatos, communi sermone, fulmine ietos dicimus.*

CAP. XXXIII. 84. TENACISSIMA MEMORIA.] *Nec in Menippa illâ suâ magis mimice rideat. Ille memoriosus, qui uxorem iussam occidit, paullo post requisit: qui multos ex iis (Suetonij verba) quos capite damnauerat, postero die & in consilium, & ad alex. lusum iussit admoneri? Et simile mox, de faciendâ quem & linguâ titubante fuisse idem scribit, spumante rictu, capite tremulo in quocumque actu.*

85. MIRA SVNT.] *Vellem, tamen innumera sunt, nisi quis putat Gracianum scripsisse, myria sunt.*

86. ATRIVM.] *De toto ritu scripsi i. Elektor. cap. XXIX.*

87. MORS FRATRIS.] *Imò verò ipsum ante obisse, & mortuum deinde postulatam, ab Asiatico fratre defensum, alij tradiderunt. Linius videndus libro XXXVIII. vbi de totâ re, & dissensu. Item Agellius VII. cap. XIX.*

88. IN EXSILIO.] *Quod voluntarium suscepit, Linterni.*

89. IVRIS ÆQVI.] *Et passim hoc ab inimicis ei obiectum: & res hic postulat ita legi. Nam factò suo violauit ius Tribunicium, & parum ciuilem se ostendit. Alij edunt, impatiens iniuriæ.*

90. VIATORIS MANIBVS.] *Linius: Repulisse à corpore fratris viatorem, & Tribunis retinentibus, magis piè quàm ciuilitè, vim fecisse.*

91. TRIBVNO QVOQVE.] *Tribunis, ex Lino & aliis.*

92. PRIVATVS.] *Linius: Dissolutam esse à priuato Tribuniciam potestatem. Quod autem prauit, eodem die hæc gesta: non video quò spectet, aut efficiat. Non enim solum eodem die, sed statim & eodem factò viatorem reppulit, Tribunos spreuit.*

93. ÆMILIANVM SCIP.] *Vide Consol. ad Marc. cap. XIII.*

CAP.

A propemodum puer, tanto animo tulit illam familię suę, super ipsum Pauli triumphum concidentis subitam vastitatem, quanto debuit ferre vir in hoc natus, ne urbi Romanę aut Scipio decisset, aut Carthago superesset. Quid referam duorum Lucullorum xxxiv. diremptam morte concordiam? Quid Pompeios? quibus ne hoc quidem scævius reliquit fortuna, ut vnâ denique conciderent ruinâ. Vixit Sextus Pompeius, primùm <sup>94</sup> sorori superstes, <sup>95</sup> cuius morte optimè cohærentis Romanę pacis vincula resoluta sunt. Idemque vixit superstes <sup>96</sup> optimo fratri: quem fortuna in hoc erexerat, <sup>97</sup> ne minus altè eum deiceret, quàm patrem deiecerat: & post hunc tamen casum non tantùm dolori, sed bello suffecit. Innumerabilia vndique exempla separatorum morte fratrum succurrunt, imò contrà, vix vlla vnquam horum paria conspecta sunt, vnâ senescencia: sed contentus nostrę domus exemplis ero. Nemo enim tam expers erit sensus ac sanitatis, ut fortunam vlli queratur luctum intulisse: quam sciet etiam Cęsarum lacrimas concupisse. Diuus Augustus amisit Octaviam sororem carissimam, & ne ei quidem rerum B natura lugendi necessitatem abstulit, cui cælum destinaverat: imò verò idem omni genere orbitatis vexatus, <sup>98</sup> sororis filium successioni præparatum suę perdidit. Denique ne singulos eius luctus enumerem, & <sup>99</sup> generos ille amisit, & <sup>100</sup> liberos, & nepotes: ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, sensit. Tamen tot tantosque luctus cepit rerum omnium capacissimum eius pectus, victorque diuus Augustus non gentium tantummodò externarum, sed etiam dolorum fuit. Caius Cęsar, diui Augusti <sup>101</sup> auunculi mei nepos, circa primos iuuentutis suę annos <sup>102</sup> Lucium fratrem carissimum sibi, princeps iuuentutis principem eiusdem iuuentutis amisit, in apparatu Parthici belli: & grauiore multò animi vulnere, quàm postea <sup>103</sup> corporis, ictus est: quod vtrumque piissimè idem, & fortissimè tulit. <sup>104</sup> Cęsar patruus meus, Drusum Germanicum patrem meum, minorem natu quàm ipse erat fratrem, intima Germaniæ recludentem, & gentes ferocissimas Romano subiicientem imperio, in complexu & <sup>105</sup> osculis suis amisit: modum tamen lugendi non sibi tantùm, sed etiam aliis C fecit: ac totum exercitum, non solum mæstum, sed etiam attonitum, <sup>106</sup> corpus Drusi sui sibi vindicantem, ad morem <sup>107</sup> Romani luctus redegit: iudicavitque non militandi tantùm disciplinam esse seruandam, sed etiam dolendi. Non potuisset ille lacrimas alienas cõpescere, nisi prius pressisset suas. M. Antonius auus meus, nullo minor nisi xxxv. eo à

CAP. XXXIV. 94. SORORI SUPERSTES.] *Quę fuit Pompeia, nupta Fausto Sulla, Dictatoris illius filio.*

95. CVIVS MORTE.] *Planè hic nihil video. Si de Iuliã id dixisset, quę nouerca Sexto: bene & verè esset. de Pompeiã, nihil extrico. Fuit quidem Pompeia Sexti filia (non soror) desponsa, in pignus fidemque pacis cum Triumuiris iniã, Marcello Octavię filio: sed desponsa, non deducta. neque de morte etiam legi. Itaque alius hæc illustret: aut nos, ut scripsit, ut plura.*

D 96. OPTIMO FRATRI.] *Cucio, qui in Hispaniã casus.*

97. NE MINVS ALTE.] *Quęsta sententiola, & falsa. Ille certè procul à fastigio & dignitate paternã. Quid dicam? & vniuersa, & in partibus, hæc scriptio sepe parum sana, non solum parum decora, est.*

98. SORORIS FIL.] *M. Marcellum.*

99. GENEROS.] *Illum iam dictum, deinde Agrippam.*

100. LIBEROS.] *Vnicam Iuliam habuit, atque ea patri superuixit, a Tiberio demùm acta ad mortem. Potes & de adoptiuis hoc intelligere, Caio & Lucio, qui iidem ex Iuliã nepotes.*

101. AVVNCVLI MEI.] *Magni auunculi. nam ex Octaviã sorore Augusti nata Antonia, & hæc Claudij mater.*

102. LVCIVM.] *Qui Massilia obiit.*

103. CORPORIS.] *A barbaro quodam percussus. Velleius, & Tacitus.*

104. CÆSAR PATRVVS.] *Suspicio præ nomen deesse, Ti. Tiberium certè Imp. intellegit.*

105. OSCVLIS.] *Quidam libri, oculis. Peto Albinouanus, ad Tiberium:*

Tu tamen extremo moriturũ tempore fratrem

Vidisti: lacrimas vidit & ille tuas.

Affigiq; suis moriens tua pectora sensit,

Et tenuit vultu lumina fixa tuo.

106. CORPVS DRVSI.] *Idem Peto:*

Quinetiam corpus matri vix vixq; remissum,

Exsequiis caruit, Liuia, penè suis.

Quippe ducè arsuris exercitus omnibus in armis,

Inter quæq; ruit, pondere certus erat.

Abstulit inuitis corpus venerabile frater,

Et Drusum prunæ, quod licuitq; dedit.

\* quã

*Sententia est, milites sibi rapuisse corpus Ducis, & in armis voluisse vrere, inter ipsas gentes, ubi obierat. Frater autem abstulit, & patriæ (ita pro prunæ legendum) quã licuit reddidit: id est, si non vinum, saltem cadaver.*

107. ROMANI LVCIVS.] *Grauis & modesti, non cum impetu & calore illo Barbarico.*

eo à quo victus est, tunc cum Reimp. constitueret, & triumvirali potestate præditus, A nihil supra se, exceptis verò duobus collegis omnia infra se cerneret, <sup>108</sup> fratrem interfectum audiuit. Fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipsa <sup>109</sup> ludos facis! Eo ipso tempore, quo M. Antonius civium suorum vitæ sedebat mortisque arbiter, M. Antonij frater duci iubebatur ad supplicium. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi, quâ omnia alia aduersa tolerauerat: & hoc fuit ei lugere, <sup>110</sup> viginti legionum sanguine fratri parentare. Sed vt omnia alia exempla præteream, vt in me quoque ipso alia taceam funera, <sup>111</sup> bis me fraterno luctu fortuna aggressa est: bis intellexit lædi me posse, vinci non posse. Amisi Germanicum fratrem: quem quomodo ama- uerim, intelligit profectò, quisquis cogitat quomodo suos fratres pij fratres ament. Sic tamen affectum meum rexi, vt nec relinquerem quicquam quod exigi deberet à bono fratre, nec facerem quod reprehendi posset <sup>112</sup> in Principe. Hæc ergo puta tibi paren- tem publicum referre exempla, eundem ostendere quam nihil sacrum intactumque sit fortunæ, quæ ex his penatibus ausa est funera ducere, ex quibus erat deos petitura. Ne- B mo itaque miretur, aliquid ab illâ aut crudeliter fieri, aut iniquè. Potest enim hæc aduer- sus priuatas domos vllam æquitatem nosse, aut vllam modestiam, cuius implacabilis se- uicia totiens ipsa funestauit <sup>113</sup> puluinaria? Faciamus licet illi conuicium, non nostro tantum ore, sed etiam publico: non tamen mutabitur: aduersus omnes se preces, om- nesque <sup>114</sup> querimonias eriget. Hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc erit; nihil inau- sum sibi reliquit: nihil intactum relinquet. Ibit violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa iniuriæ causa intrare, in quas <sup>115</sup> per templa aditur, & <sup>116</sup> atram laureatis foribus inducere vestem. Hoc vnum obtineamus ab illâ votis ac precibus publicis, si nondum illi <sup>117</sup> genus humanum placuit consumere, si Roma- num adhuc nomen propitia respicit, hunc Principem, <sup>118</sup> lapsis hominum rebus datum, sicut omnibus mortalibus, sibi esse sacrosanctum velit. discat ab illo clementiam, at- que

xxxvi.

CAP. XXXV. 108. FRATREM.] C. Anto- nium, qui in usu Bruti in Macedonia interfectus. Vide Plutarchum in Bruto, & Dionem XLVII. in aliquo tamen dissentiu.

109. LVDOS FACIS.] Eadem exclamatio Vale- rij Liciniani quondam: Quos tibi Fortuna ludos facis? Facis enim ex professoribus Senatores, ex Senatoribus professores. Plinius lib. iv. epist. xi.

110. VIGINTI LEG.] Quæ in Bruti Cassij, par- tibus erant, & quas vici. Neque enim interfecit om- nes (absit) & declamatorè id quoque hic dictum.

111. BIS ME FRATERNO.] Atqui vnum fra- trem habuit, Germanicum: de quo etiam solo dissi- nte subiungit. Tamen lectionem teneo, & de Luillâ etiam accipio, quæ soror Claudij fuit, interfecta à Ti- berto paullo post Seianum. Quia autem parum ab ho- nestâ causâ ea mors, parit diducere hic Seneca.

112. IN PRINCIPLE.] Tunc verò non erat, cum fratrem & sororem amisit: imò procul ab omni eâ spe. Aut improvide igitur hoc Seneca, aut accipiendum de quocumque primario viro, vt sepe.

113. PVLVINARIA.] Quæ deorum sunt, vt lecti priuatorum. Ita Domitianus superbè, & cum Suetonij notâ, in reducendâ post diuortium vxore edixit, Reuocatam eam in puluinar suum. Iuuenalis: Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

114. QVERIMONIAS.] At liber meus & plures, cerimonias: vt ad sacra & Deos iterum referat.

115. PER TEMPLA ADITVR.] Vniuersè hoc de Triumphalibus edibus capis? in quas certè è templis, & Capitolino Ioue salutato, ingrediebantur. An siri- lius & verius, de ipso Palatio Principum: quod tem-

plis vndique cingebatur. Claudianus, in vi. Con- sul. Honory:

Attollens apicem subiectis Regia Rostris,  
Tot circum delubra videt, tantisque deorum  
Cingitur excubiis.

Sed & in ipso Palatio templa, Apollinis, & Vestæ. De utroque Ouidius, in Metamorphosi:

Et cum Casarea tu Phœbe domestice Vestæ.  
Et iv. Fastor.

- cognati Vestæ recepta est  
Limine, sic sancti constituere patres.  
Phœbus habet partem, Vestæ pars altera cessit,  
Quod superest illis, tertius ipse tulit.

Cognatum Vestæ, Augustum appellat, vt è Julia gen- te & Venere ortum. Ista igitur templa in limine Pala- tij, & puto, Seneca huc respexit. Possit tamen & cape- re, tanquam velis, per reuerentiam mixtam metu, eos qui ad Principem ibant, prius templa & Deos adisse, D

ut illum sibi votisq; suis propitium haberent.

116. ATRAM LAVREATIS.] Nam Palatine fores lauru & quercu ornate semper. Idem Ouidius:

State Palatina laurus, pratextraque quercu  
Stet domus: æternos tres habet vna Deos.  
duos nempe deos, quos dixi, & tertium ipsum Augu-  
stum. Sed de lauru istâ, ego fusius ad cap. vlt. libri i.  
De Clem. Quid autem atram vestem foribus indu-  
ci intellegit? ipsamne vestem oppandi, vt hodie in su-  
ner? an magis enallage quadam, homines induci  
& ingredi atratos?

CAP. XXXVI. 117. GENVS HVMANVM.] Periturum scilicet, absque hæc Solère. O fœdam adu-  
lacionem!

118. LAP SIS.] Alij libri, lassis: & probem.

119. AD-

A que à mitissimo omnium Principum mitis fieri. Debes itaque omnes intueri eos, quos paullo antè retuli, aut <sup>119</sup> adscitos caelo, aut <sup>120</sup> proximos, & ferre æquo animo fortunam, ad te quoque porrigentem manus: quas ne ab eis quidem, per quos <sup>121</sup> iuramus, abstinet. Debes illorum imitari firmitatem in perferendis & euincendis doloribus, & in quantum modò homini fas est, per diuina ire vestigia. Quamuis in aliis rebus dignitatum magna discrimina sint, virtus in medio posita est: neminem dedignatur, qui modò dignum se illà iudicet. Optimè certè illos imitaberis, qui cum indignari possent non esse ipsos expertes huius mali, tamen in hoc vno se ceteris exæquari hominibus, non iniuriam, sed ius mortalitatis iudicauerunt; tuleruntque nec nimis acerbè & asperè quod acciderat, nec molliter & effeminatè. Nam & non sentire mala sua, non est hominis: & non ferre, non est viri. Non possum tamen, cum omnes circumiuerim Cæsares, quibus fortuna fratres & sorores eripuit, hunc præterire ex omni Cæsarium numero excedendum: quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit, à quo imperium uersum funditùs, Principis piissimi recreat clementia. C. Cæsar, amissâ sorore <sup>122</sup> Drusillâ, is homo qui non magis dolere quàm gaudere Principaliter posset, conspectum conuersationemque ciuium suorum profugit, exequiisque sororis suæ non interfuit, iusta sorori non præstitit, sed in Albanum suum <sup>123</sup> secessit. At foro & aduocatis, & huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala! Pro pudor imperij, principis Romani lugentis sororem, alea solatium animi fuit. Idem ille Caius furiosâ inconstantia, modò <sup>124</sup> barbam capillumque submittens, modò Italiae ac Siciliae oras errabundus permetiens, & numquam satis certus utrum <sup>125</sup> lugeri uellet, an <sup>126</sup> coli sororem. Eodem enim tempore, quo templa illi constituebat ac puluinaria, eos qui parum maesti fuerant, crudelissimâ afficiebat animaduersione. Eadem enim intemperie animi aduersarum rerum ictus ferebat, quâ secundarum elatus euentu, supra humanum intumescerebat modum. Procul istud exemplum ab omni Romano viro, luctum suum aut intempestiuus auocare lulisbus, aut sordium ac squalloris fœditate irritare, aut alienis malis oblectare, minimè humano solatio. Tibi uerò nihil ex consuetudine mutandum tuâ. quoniam quidem ea instituisti amare studia, quæ & optimè felicitatem <sup>127</sup> extollunt, & facillimè minuunt calamitatem: eademque & ornamenta hominum maxima sunt, & solatia. Nunc itaque te studiis tuis immerge altius, nunc illa tibi uelut munimenta animi circumda, nec ex vllâ tuâ parte inueniat introitum dolor. Fratris quoque tuî produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. hoc enim unum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat uetustas: cetera, quæ per constructionem lapidum, & marmoreas moles, aut <sup>128</sup> terrenos tumulos

xxxvii

in

119. ADSCITOS.] *Iam consecratos, & mortuos.*120. PROXIMOS.] *Si non consecratos, tamen in puriore aere herods.*121. IURAMVS.] *Satis notum per Principes, ut Deos, iurari, & probrè fortasse ita scriptum. Tamen D. Erasmi, itemque, bonus ille meus, viuimus habent. Cur spernam? imò acutum est, mortem ad eos quoque venire, qui auctores sunt vitæ. Nam hanc Principibus adscribi (ob tutelam & curam rerum) docet uel acclamatio illa Alexandrinorum, in Suetonio, quâ Augustus magnopere oblectatus: Per illum se viuere, per illum nauigare, libertate atque fortunis per illum frui.*122. DRUSILLA.] *Quam homo incestus iusta uxoris loco propalam habebat: Suetonius.*123. SECESSIT. AT FORO.] *Est quasi iniectio. An ille fortè foro & rerum actu dolorem secessit? Imò alea, & ludo. Tamen libri turbant, qui plerique: in Albano suo cesserit, ac foro & prouocatis, & huiusmodi. In meo quidè, ut posui: & consentiunt, aut leniter abeunt Græuieriam. Olim dicitur abam: sed**in Albanum suum secesserit. nec foro & aduocatis, & huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris leuabat mala. pro pudor imperij: principis Rom. &c. Neque nunt omnino sedet: & suspectum illud, prouocatis. Inisio fuerit, in Albano suo tesseris. deinde illa, ac foro & prouocatis, siue ut alij, prouocatis, genera aut nomina item ludorum: etsi corrupta.*124. BARBAM CAPIL.] *Suetonius: Drusillâ defunctâ iustitium indixit. in quo risisse, lauuisse, carnasse cum parentibus, aut coniuge liberisue, capitale fuit. Ac mæroris impatiens, cum repente noctuque profugisset ab vrbe, transcurrissetque Campaniam, Syracusas petiit, rursusque inde propete rediit, barbâ capilloque promisso.*125. LUGERI.] *Ut hominem.*126. COLI.] *Ut Deam.*127. EXTOLLUNT.] *Benè, aliquis tamen excolant uellet, quia sequitur ornamenta.*CAP. XXXVII. 128. TERRENOS TUMULOS.] *Quidam, cumulos. Nota morem aggerandi*

in magnam eductos altitudinem constant, non propagabunt longam diem: quippe & A ipsa intereunt. Immortalis est ingenij memoria: hanc tuo fratri largire, in hac cum colloca. melius illum duraturo semper consecrabis ingenio, quam irrito dolore lugebis. Quod ad ipsam fortunam pertinet, etiam si nunc agi apud te causa eius non potest: omnia enim illa quae nobis dedit, ob hoc ipsum quod aliquid eripuit, inuisa sunt: tunc tamen erit agenda, cum primum aequiorem te illi iudicem dies fecerit: tunc enim poteris in gratiam cum illa redire. Nam multa prouidit, quibus hanc emendaret iniuriam: multa etiam nunc dabit quibus redimat: denique ipsum quod abstulit, ipsa dederat tibi. Noli ergo contra te ingenio uti tuo, noli <sup>132</sup> adesse dolori tuo. Potest quidem eloquentia tua, quae parua sunt approbare pro magnis: rursus magna attenuare, & ad minima deducere: sed alio ista vires seruet suas, nunc tota se in solatium tuum conferat. Sed tamen dispice, ne hoc iam quoque sit superuacuum. aliquid enim a nobis natura exigit: plus vanitate contrahitur. Numquam autem ego a te, ne ex toto mareas, exigam. Et scio inueniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae viros, <sup>130</sup> qui negent doliturum B esse sapientem. Hi vero videntur numquam in huiusmodi casum incidisse. alioquin excussisset illis fortuna superbam sapientiam, & ad confessionem eos veri etiam inuitos compulisset. Satis praestiterit ratio, si id vnum ex dolore, quod & superest & abundat, <sup>131</sup> exciderit. nam ut quidem nullum omnino esse eum patiat, nec sperandum vlli, nec concupiscendum est. Hunc potius modum seruet, qui nec <sup>132</sup> impietatem imitetur, nec <sup>133</sup> insaniam: & nos in eo teneat habitu, qui & praesentis mentis est, nec emotae. Fluant lacrimae, sed eadem desinant: trahantur ex imo pectore gemitus, sed iidem & finiantur. Sic rege animum tuum, ut & sapientibus te approbare possis, & fratribus. effice, ut frequenter fratris tui memoriam tibi velis occurrere, ut illum & sermonibus celebres, & assidua recordatione repraesentes tibi. Quod ita denique consequi poteris, si tibi memoriam eius iucundam magis, quam flebilem feceris. naturale est enim, ut semper animus ab eo refugiat, ad quod cum tristitia reuertitur. Cogita modestiam eius, cogita in rebus agendis solertiam, in exsequendis industriam, in promissis constantiam. Omnia dicta eius ac facta & aliis expone, & tibi met ipse commemora. Qualis fuerit cogita, qualisque <sup>134</sup> sperari poterit. quid enim de illo non tuto sponderi fratre posset? <sup>135</sup> Haec, ut unquam potui, longo iam situ obsoleto & hebetato animo composui: quae si aut parum responde- re ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita quam non facile Latina ei verba succurrant, quem Barbarorum inconditus grauisque fremitus circumsonat.

\* Lib. 7.  
Electior.  
cap. 26.

in altitudinem terram, & instar colliculi: cuiusmodi etiam maiorum auro structos Belgica nostra habet, & miratur, causa parum gnara.

129. ADESSE.] Patrocinari.

130. QUI NEGENT.] Palam culpas suos Stoicos, & conuictis pane insectatur. Quid enim aliud est, superbam sapientiam dicere? Bonam veniam Seneca, tua, aut etiam tua, mentis est?

131. EXCIDERIT.] Exsecuerit.

132. IMPIETATEM.] In non dolendo.

133. INSANIAM.] In nimis dolendo.

134. SPERARI.] Si maturuisset, & vixisset.

135. HAEC UT QUAM POTUI.] Fateor me scripsisse haec Seneca non videri. & profecto veri sancti Seneca non esse, etiam nunc clamo: an illius abiecti, corpore & mente fracti, nescio. Ne hoc quidem velim, si meus sit arbitratus: quia nimis & vilia sunt, & vix tunc cito aliquo digna. Desino, & inter alia ex hoc scripto disco, quam maximi viri labi & iacere possint: iudem, mitiore iam Deo, iterum erigi, & alius ad robur excitatio & exemplum esse. Timeamus, speremus, numquam desperemus.